

(b) Ex qua fit, ut libra una aquæ resistere non duntaxat possit mille aquæ libris, sed & easdem pellere sursumque trudere.

(c) In quibus aqua nunc plus nunc minus ascendit super reliquæ aquæ superficiem.

2.

Quamvis ad unicum principium, nim. pressionem, omnia in hydraulicis reduci possint, ut ex phænomenorum resolutione patebit, nunc tamen, sequemur communem hypothesin, quæ quatuor ponit principia.

Primum principium est *lapsus* (a) aquæ naturalis ad æquilibrium obtinendum.

(a) Ex hoc principio constructi sunt fere omnes fontes in civitatibus & hortis, tum ad usum, tum ad lusum facientes. Monstramus hunc lapsum, in *simpli- ci machina* non duntaxat, sed etiam qua ratione vase aqua pleno, in superiori domus parte collocato, per *canales plumbeos* aqua ad lubitum derivari possit, ex eodem principio deducimus *clepsydram*, quæ fontis instar ejaculatur aquam, & inversa iterum fluit.

3.

Secundum principium vulgo dicitur *attractio*, (a) ad evitandum vacuum, ut falso judicant.

(a) Per hanc aqua, quamvis alias respectu gravis & humi repens sit, tamen in sublime tendit, quod ostendimus in *siphone inverso non interrupto*, cujus crus unum doliolo aqua pleno immergitur, alterum verò
foris